

ad episcopum Agræ, vicarium apostolicum in quodam oppido nuncupato *St. - Laurent sur Severs*, commorantem, postulantes ab eo, quomodo se gerere, & quam agendi rationem deberent inire. „

„ Nos equidem ignoramus, nùm scriptum hujusmodi sit authenticum necne; qui enim illud vulgavit in eo monito, quod hujusmodi scripto præfixit, liberum Gallis relinquit, ut eam scripto adjungant fidem, quam scriptum ipsum sibi vindicare arbitrentur. „

„ Nihilominus sicut catholicæ Religionis restitutio, ad quam non sine maximâ laude consilia prædictorum ducum spectare videntur, fuit semper præcipua & singularis causa nostrarum apostolicarum sollicitudinum; & sicut memorati duces eligentes hanc ipsam ob causam virum hujusmodi, qui se episcopum Agræ, & apostolicum vicarium appellat, nedùm propositum sibi finem assequerentur, sed etiam latiore errori patefacere viam non sine gravissimâ fidelium deceptione, cùm nobis constet titularem hujusmodi episcopum nullibi existere, & nunquam a nobis vicarium hunc apostolicum destinatum fuisse; ita ad omnem ambiguitatem in re tanti momenti avertendam consilium cepimus monendi vos, dilecti filii nostri, ven. fratres, ac dilecti filii, ut si quis ausus fuerit uti titulo episcopi Agræ, & vicarii apostolici nomen accipere, tanquàm talis habeatur a nemine, imò ut omnes illum averterentur atque devitent tanquàm utriusque dignitatis invasorem, cujus quotquot essent actus cùm sacrilegii, tum nullitatis labe essent infecti. Haud patet ex scripto, cujus superius facta mentio est, quo pseudo iste episcopus nomine nuncupetur, sed aliundè innotescit ipsum appellari *Guillot de Folleville*. „

„ Hinc hortamur in Domino unumquemque vestrum, ven. fratres, ut singulos populos, ac diocesanos vestros de hujusmodi fraude admoneatis. Quoniam verò pseudo-episcopus & vicarius aposto-

---